

**De natura hydropis aphorismi : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Car. Fr. Rothkehl.**

Contributors

Rothkehl, Karl Friedrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ioannis Friderici Starckii, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/av854qfx>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
NATURA HYDROPI
APHORISMI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN

UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. APRILIS A. MDCCCXXV

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAR. FR. ROTHEKEHL

LESNENSIS

OPPONENTIBUS:

L. SCHREIBER, MED. DR

FR. FRIEBEZEISER, MED. DD.

G. BRAUNE, MED. DD.

BEROLINI,

STYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

ИСТОРИЯ АНТА

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ

P r a e f a t i o.

Multa mecum agitabam, priusquam ex
agno medicinae thesauro, materiam quan-
am ad dissertationem, ex more antiquo et
libus academicis, conscribendam eligerem:
blem commotus sum, de natura hydropis
vrem qualemcunque scriptiunculam ex-
ere, neque eam prorsus absolutam, sed
nis opera excultam atque elaboratam.
ulgentiam vero, si haec vel illa minus
dicta sint, ab iis promeriturum me
confidenter spero, qui, quanta in ela-
tionibus ejusmodi difficultas versetur,
itaque experimentorum scientia is in-
ctus esse debeat, qui nova proferre de-
s per longam annorum seriem agitatis
, aliquanto curatius secum reputave-
Neque in reprehensionem incurrisse

mihi videor, quod in re tam ardua atque difficili, quam ne ipsis quidem a medicis cum ingenio tum experientia, excellentissimis, assidua naturae contemplatione ad finem perductam esse constat, tirocinium posuerim. Sed par est omnia experiri, quae res magnas et magno opere expetenda concupiverunt.

Hinc ea, L. B., indulgeas, quae tibi nimis ambigua videantur; equidem, nec ore alieno indicta, neque omni plane dubio atque errore experta hic proferre credo; difficile enim est: „recte cogitare, recte scribere, difficilius, ut nobiscum idem sentiant, alios adducere.”

Morbis, hydropis nomine insignitis ac pertractatis, adnumerantur.

a), Hydrops anasarca; intercus; cellulosus; tumorem mollem, inelasticum, pallidum, subfrigidum, laxum, indolentem atque a digiti compressione foveam difficiliter tardiusve resurrecturam, offe-
dens. Sedes ad contextum cellulosem defigitur, undeque omnes humani corporis partes, tela cellulosa stipatas, aggredi potest. Huc referendi sunt hydropes particulares v. c. pedum, manuum, faciei, palpebrarum, scroti, uteri etc.

b) Hydrops, cava humani corporis majora occupans, secundum ea vario modo nuncupatur. Hinc hydropis species, hydroencephalon, hydrorrhachia, hydrophthalmia, hydrothorax, hydrops pericardii, ascites, hydrops ovariorum, tubarum, hydrocele, hydrops articulationis (hydrarthrus). Nulla fere corporis particula ab hydrope immunis est, ac ipsis adeo in ossibus longioribus, morbosa liquorum collectio reperta fuit. ¹⁾

c) Hydrops, qui cavis propriis membranaceis, tumoribus saccatis insidet: unde nominandi veniunt hydrops saccatus, hydatideus, cysticus.

¹⁾ Richter *speciell. Therapie Berlin 1817 Bd. III. §. 10.*

2. Sequitur ex iis, quas supra proposui, notio-
nibus, morbi sedes et effectum, scilicet aquarum
collectionem distinctionem facere. Non minus
vero, hoc unicum signum observare licet, quam
hydropis natura atque indoles per se evidentius
evolvatur. Quamquam vero Sauvagesius, Linnaeus,
Vogelius, Sagar, Ploucquet morborum species eo-
rumque divisiones, aut symptomatibus aut causis
remotis superstruxerint, nos, ne hunc in errorem
incidamus, eam distinctionem concedere nequimus.

Sin autem nobis contingat, ut ultimum termi-
num, in hydropis natura inveniendum, assequamur,
ex omni rerum discrimine essemus. Hoc vero
maxime arduum esse et futuro tempori reservatum
optime intelliget, qui doctrinam medicam recte
censeat.

3. Hydropis sedes vasis lymphaticis hucusque
adtribuerunt, et praeter Blassium, Bonnet, Plater
huic opinioni plurimi auctores faverunt. Alii vero
vasa sic dicta exhalantia simul laesa esse credide-
runt. Alii et recentiores putarunt, tam vasa lym-
phatica quam exhalantia, vitiis affecta esse, opi-
nantes, vaporem animale per vasa exhalantia
secretum, in quo, tela cellulosa, et membranae cor-
poris humani cava majora obvestientes, madent, vel
copia majori accumulari, vel ipsam vasorum lym-
phaticorum vim resorbendi diminui atque aequi-
librium inter exhalationem et resorptionem tur-

bari, unde aquarum collectiones oriantur necesse sit.

4. Secundum hanc sententiam, morbi productum gignitur, sed ideo eam vituperandam esse censeo, quod, de quo agimus, morbus partibus inest, quarum structuram neque cognoscere neque earum existentiam in humani corporis fabrica argumentari possumus. Omnia haec de vasis exhalantibus valent; ¹⁾ porro vero hydropes in substantia cerebri, cerebelli observantur, in qua vasorum lymphaticorum vestigia nondum reperta sunt. ²⁾ Ac mihi quidem videtur, omnibus in casibus ubi rerum explicationes nobis desint, ibi vasa exhalantia in auxilium verti. Quo tempore vero, sententia a veteribus prolata, venis inesse munus absorbendi, atque organa impervia transudare, denuo renovata, probatissimis experimentis extra omnem dubitationis aleam posita est, Mascagni et Cruikshank opiniones, vim, vasis lymphaticis esse, polentem et omnipotentem, mirum quantum in dubium vocatae sunt.

5. Neque minus differentia inter exhalationem et resorptionem, humorum collectionem varietates qualitativas definire, quam discrimina inter se ipsa determinare potest.

¹⁾ *Rudolphi Physiologie Berlin 1821. (Bd. I. §. 109. in der Anmerk.*

²⁾ Peter Frank de curand. homin. morb. epitome Tübing. MDCCCXI. Tom. VI. pag. 106.

Aqua autem in hydrope mox limpida, mox serosa, uti saepius reperimus in hydrocephalo et hydrope cutaneo. Interdum mucosa, viscosa, interdum adeo gelatinae teneriori vel subfluidae, vel ipsi adeo albumini ovorum non dissimilis. In multis tamen serosus hic latex mutabilis admodum aspectus, nunc flavi, nunc aurantii, nunc viridis, nunc albescens coloris, pseudomembranulis filisque polyposis remixtus. Analysis chemica, quae sane et pro vario subjecto, et morbi indole et gradu et complicatione aliquantum diversa est, humores in hydrope universim collectos, albumen quod nunc majori, nunc minore quantitate solutum est, praeterea salia phosphorata, calx et ferrum phosphoratum, natrum muriaticum, kali sulphuricum, continere docuit. ¹⁾

Salis copiam eandem fere esse in humoribus albuminosis, differentiamque tantummodo in mixture solidarum partium, flocculorum, albumine etc. consistere experimenta a Marcet instituta luculentissime probant. ²⁾

Quantitatem albuminis semper maximam esse

¹⁾ Medico-chirurgical Transactions published by the medical and chirurgical. Society of London Voll. II. Case XXX.

²⁾ Marcet chemical account of various dropsical fluids in medico-chirurgical Transact. Voll. II. p. 380. 381. etc. Bostock on the nature and analysis of animal fluids *Ebds. Vol. V. in der Tabelle zu pag. 73.*

Doebereiner arbitratus est, affirmans, in aquae uncia dimidia, hydrope laborantis, viginti quatuor horas post mortem, thoracis cavo exhaustae, drachmam et grana quinque albuminis tenacioris ac tremuli contentam fuisse.

Non alienum, aquarum differentias quoad gustum et odorem, hic recensere videtur. In iis vero percipitur, vel odor suburinosus vel sulphureus vel mucidus. Quoad gustum, aquas amaras, dulces, peracres, salinas esse legimus.

6. Ex qua sententia, vasorum lymphaticorum et exhalantium solum vitium subesse hydropi, per se patet. Inquirendum erit, an haec definitio congrua sit. Facile unumquemque mecum perspecturum esse confido, hac in definitione sermonem esse de vitio vasorum topico, quod fortasse partium hydrope affectarum vicinarumque figura, volumine mutato, tensione, gravitate, vicinae molestiis, serius ocus conspicuum est, sed omnium signorum usum impedit, si habitum cachecticum hydropes semper subsequentem deprehendimus, quamquam nihil omnino magis necessarium est.

Ex solo morbo vasorum exhalantium et lymphaticorum neque evolvi statum cachecticum, neque effugere licet, atque concedere vitemus, aquas morborum hydropicorum in organa affecta modo mechanico segregari et deponi. Quantis praeterquam haec definitio septa est difficultatibus, si,

quomodo vasa lymphatica affecta sint, quaeque naturae aberrationes hydropis producendi, praecedere necesse sint, quaestiones solvendas intendamus.

Ac mihi quidem hanc opinionem cogitanti de fluidorum jactura a Petro Frank prolata verba in mentem veniunt: „hydrops nutrientium humorum „e suo systemate, sui que officii desertio est ¹⁾.”

His in verbis jam latent omnia quae de natura hydropis dicenda sint. Quis vero est, qui non opinetur hydropes organismum ex toto invadere, processum vegetationis ejusque factores funditus pervertere, ac vero profundius radicari quam vulgo creditur? Iamiam persuasum sibi habebit, originem aliis ex systematibus repetere hydropes, facile deinde statum cachecticum ex quo ortum trahit perspiciet, quique habitu atonico, fibra laxa, pallore, partium macie ab hydrope non affectarum, et viribus vitalibus deficientibus, ac pari gradu quo extenditur hydrops decrepescens, manifestatur. Causa cachexiae sufficiens in vi productiva plastica perversa quaerenda est. Quod vero materiae nutrientes subtrahuntur ac aquarum collectiones deponuntur, singulas vegetationis functiones, digestionem, assimilationem,

¹⁾ Peter Frank l. c. pag. 146.

nutritionem, excretionem ratione varia a norma deflecti necesse est.

7. Antequam in hydropis natura moramur, quae, exhalationis et resorbitionis dissensu hydro- pes oriri, thesi ex toto obsint hydatides adducere liceat. Vesiculae subrotundae, serosae, homogeneae, membranaceae, liquore limpido adimpletae apparent. ¹⁾ Ab Laennec, Acephalocystes nominatae sunt. ²⁾ Vario numero usque ad centum et ultra, pisi, fabae, ovi columbini etc. magnitudine reperiuntur.

In cavo abdominis, in ovariis, renibus, cerebro, pulmonibus, testibus, in contextu celluloso, in musculorum fasciculis ac ipsis in ossibus a Cullevier observatae sunt. ³⁾ Quoad genesin pseudomembranarum et organisationum spuriarum typum sequuntur; organa enim lympham exsudent, quaeque nisu coagulandi partibus vicinis adhaeret, et nexum organicum assequitur; hydatidibus vero texturam organicam referentibus, notae organici corporis imprimuntur ac formam rotundam acquirunt, et quod ipsam vitae sphaeram intrant, communem cum reliquis organis vitam vivunt,

¹⁾ *Meckel menschl. Anatomie Halle 1815. Bd. I. §. 456*

²⁾ *Laennec sur les vers vesiculaires in Bullet de la societ. de med. XIII. XIV. p. 131.*

³⁾ *Cullevier in der Sammlung auserles. Abhandl. z. Gebrauch für prakt. Aerzte. Bd. XXIV. St. 2. S. 238.*

hoc enim fit ut lymphæ iterum iterumque exsudente ac stagnante magis magisque volumine au-geantur, et quia membranacea, lymphatica indole sunt, lympham coagulabilem denuo segregare ac deponere intra cava, indeque novas hydatides producere, majores minoribus obsidere et infarcire facile intelligitur.

His in hydatidibus non solum serosos sed etiam gelatinosos humores invenies, ac præterea fila, frusta membranacea, interdum vero vascula conspiciuntur, quæ quidem omnia generationis modum quem jam protulimus comprobare videntur.

Nonnullæ vermiculum simul in se continent, cujus genesis nondum illustrata est, sed observationes de ea institutæ, embryonis generationi unacum involucris comparari posse docent. Involucris propriis inclusi sunt vermiculi, et simplicibus et compositis. Reperiuntur enim organa plura, quæ in uno ovuli involucro generentur, quæque singula animalia, majori cum jure unius organismi partes communes (Echinococcus) considerari possint, et quibus Acephalocystes permultæ adnumerandæ, vel involucrum quod ex toto fere evanescit, ima parte tumidum fit et in vesicam caudalem (Cysticercus) desinit, æque ac animalium superiorum involucra cum infimo corpore commercium alunt. Illæ, quo hydatides oc-

cupant sedes in corporis humani fabrica inveniuntur, hae praesertim in contextu celluloso, musculis et cerebro. ¹⁾

Omnia autem animalcula sive entozoa in organismo humano et mamalibus nec ullo alio animali detecta sunt, ut Goezii ²⁾ et Blochii ³⁾ observationes satis testantur.

8. Ex quibus omnibus vero abunde patet, hydatides e vegetatione abnormi productas esse, neque malis carere effectibus, qui maxime in eo consistant, quod, dum majorem copiam nutrimenti attrahant, aliarum partium nutritionem restringant; neque desunt sequelae adversae, ex mechanica earum actione repetendae, pro hydatidum magnitudine, situ et parte quam occupant diversae. Et producta quidem morbosa esse debent, quia organismum infestant, et per se processum morbosum quo producuntur supponunt. Cum vero in organismo animali, nulla nisi per vegetationem animaleam valet productio, ad hydatidum generationem determinata vegetationis affectio re-

¹⁾ Meckel l. c. §. 456.

²⁾ *Versuch der Eingeweidewürmer thieris. Körper mit Kupf. Leipz. 1782. 4. Nachtrag von Zeder. Leip. 1800. 4.*

³⁾ *Abhandlung von Erzeugung der Fingeweidewürmer und den Mitteln wider dieselben mit Kupfern. Berlin 1782. 4.*

quiritur. Verisimillimum ergo est, hydatides, uti ex vegetatione alienata originem repetant, reliquos hydropes non dissimiles illis eandem sedem et ortum sibi vindicare.

9. Hinc jure meritoque concludimus, omnibus hydropicis morbis vegetationem anomalem subesse quacum assimilatio atque nutritio laesa sit. Ubicunque vero hydropes in corpore humano deprehenduntur, et in iis praeprimis organis emergunt, quae per albumen maxima ex parte constituuntur, id quod de cerebro et hydrocephalo in aetate infantili prae reliquis valet.

10. Gravis hic quaestio de modo vegetationis aberratae expedienda venit. Quamquam difficilius est istud declaratu, in dissertationis limites etiam cogere non possumus. In hydrope construendo et ad organa et ad eorum functiones vegetationi dicatas ut primum respiciamus, magni momenti esse mihi videtur. Videndum nobis est vegetationis aberrationes quoad quantitatem et qualitatem, et, quo melius intelligantur, ad reproductionis functiones a digestionem et sanguificationem incipientes, et secretionem et nutritionem finientes, attentionem convertere, deinde ex laesis functionibus et organis signa desumere, et statum praesentem determinare, juvabit.

Quae si omnia attendimus majus lucrum in arteria redundabit, quam in vasis lymphaticis, la-

ceratis, destructis, cadaverum sectionibus nondum repertis, ¹⁾ et in differentia inter exhalationem et resorptionem, curationis cardinem non constituentem, occupamur.

11. Hydropis praestantissimam causam hepatis vitia esse veteres crediderunt, ac secretionem bilis inversam exinorientem effectum in totum reproductionis officium agentem bene intellexerunt. At tamen non solis hepatis morbis hydropem debere originem, sed ventriculi, intestinorum, chyli, vasorum lymphaticorum morbis, eandem esse rationem arbitror.

Non fugiet intellectum, si, quem in turbandam vegetationem influxum exserant sanguificationis circulationis etc. ministeria, recte iudices. Elucet inde quam necessaria sit hydropibus intelligendis, praevia morborum tam dynamicorum tam organicorum in organis vegetationi inservientibus contemplatio. Organisationis vitia, et dilacerando et

¹⁾ P. Frank 332. Difficilem in explicanda hydropis origine nodum illi findunt magis quam solvunt, qui vas lymphatici solutionem, lacerationem, etsi exemplo ductus adeo thoracici dirupti, minime impossibilem, aquarum collectioni praeesse supponunt. Nulla saltem injectionibus aptiora, quam hydropicorum sunt cadavera. In multis, hydrope pectoris et abdominis enectis ovibus, vasa lymphatica turgida fuisse ac integra, egregius de corde scriptor Anglus detexit.

obturando hydropes producere in opinione fuerunt, sed nescii centenis in hydropicorum cadaveribus nullum obstructionis vestigium reperiri, ac demum licet summas, absque omni hydrope, obstructiones detegi. Nobis persuasum habeamus organorum actionibus inhibere, et exinde mutationum seriem oriri, quod organa non libere agere valeant, inprimis vasa et nervi, quibus vegetationis processus regitur. Huc spectant tumores varii, indurationes, obstructiones, arteriarum ligatura, lupiae, fracturae ossium etc. Respicientibus ad res externas hydropes simulcum vitiis organicis gignentes, nobis, invenimus hydropis causas sufficientes per se sistere. Saepissime motus muscularis neglectus hydropem profert: unde partium atonia, respirationis, circulationis, digestionis inertia, assimilatio imperfecta, deficiens cruoris, fibrae et caloris animalis evolutio, status pituitosus, frigus, pallor, corporis inflatio flaccida. Haec omnia attente secum reputans, persuasus mox quisque erit, vitia organica quae in hydrope saepe deprehenduntur conjuncta esse, et uni eidemque causae originem debere. Ejusmodi sunt animi pathemata, terror, moeror, melancholia, curae insignes, anxietas animi recensenda, omnesque causae quae vegetationem funditus pervertunt. ¹⁾

Idem

¹⁾ Conferri hic meretur Franz Xaver Mezler *von der Was-*

Idem confirmat Hewson, dum ait, in digestio-
nis organis laesis hydropes consistere.

12. Symptomata vero ipsa, quibus incedunt
morbi hydropici, quales characteres definitivos,
hydropibus esse diximus, portendunt.

Omnes fere hydrope laborantes a) in ato-
niae statu universali deprehenduntur, ex nutri-
tione alienata intelligendo: unde constitutiones
debiles, sexus femineus, aetas infantilis, senilis,
artifices vitam sedentariam agentes, morbis vel
gravioribus vel acutis exhausti in hydropes prae-
disponunt, et igitur homines temperamento
phlegmatico, habitu laxo, tumido, inflato, molli
praediti et obesi 1) in hydropem incidunt.

Omnes vero potentiae externae quae istum
toniae statum inducere valent, hydropes pro-
ducere possunt, et pro momentis causalibus ha-
eendae. Huc spectant, aër humidus, frigidus, de-
ravatus, lucis absentia, tristitia, vita deses, nu-
timenta glutinosa, farinosa, pingua, difficulter
egerenda et assimilanda, praeterea exercitium

Wassersucht, eine gekrönte Preisschrift aus dem La-
anis. Ulm 1787. §. 10 — 23.

1) Sprengel hisce in obesis putat, in gelatinam et lym-
um transformari adipem, quod humoribus secernen-
, azotici elementi quantitas sufficiens deest. Instit.-
dic. Tom. IV. Amstelod 1814. §. 577.

corporis mentisque nimium, humorum jactura, partus nimis frequentior, nimis diu protractus, veneris abusus, haemorrhagiae, profluvia alia etc. id mali genus producunt.

b) Digestionis, nutritionis, secretionis et excretionis vitia, quae frequenter praecedunt hydropes, et signa exhibent: uti apepsiam, dyspepsiam, ructus, flatus, sedes irregulares etc. Secretiones et excretiones aut imminuuntur aut supprimuntur, quia materiae ad sustentandam vegetationem ineptae extra organismi limites non propelluntur, indeque materiatarum caractere organico destitutarum in organismo accumulatio. Hinc sanguinis per substantias inutiles inquinatio, irritatio vasorum major, nutritio impedita, secretio perversa etc.

c) Nutritio partium ab hydrope non affectarum impedita, decrescens: hinc macies, teneritas, mollities, sanguinis et reliquorum humorum penuria, febris hectica in conspectum veniunt, quae quidem symptomata non prius ac hydropis producta animadverti possunt.

Signa vero ex hydropis productis repetenda pro ejus magnitudine, situ, parte quam occupant diversa sunt, et ex dilatatione cavorum, partiumque distractione et pressione intelliguntur.

a. Volumen organi ab hydrope affecti, ultra limites praescriptos auctum, a distendente

materia in partis affectae internis collecta. Non in quocunque hydrope hoc signum animadvertitur, et tam demum si humores stagnantes sub tegumentis aut partibus mollibus, extensilibus latent. Quod si vero nimis profunde haeret tumor, aut involucro densiori, ossibus obtectus, oculis et tactui subducitur, et non nisi in altiori gradu et distractis ossibus percipiendus. Nascitur tumor ab parte aquis turgente, atque corporis situm et positionem sequitur.

Quoad phaenomenon, hypertrophia analogiam praebet, sed non confundenda. In hydrope enim nutritio impedita, particulae nutrientes, albuminosae, lymphaticae retinentur in humores collectos deponuntur, indeque partium macies in conspectum venit.

b. Tumor a digito percussus fluctuationem ostendit. Quod si pars ossibus non obtecta est, undulatio percipitur, fallax est nec tactui exploranti respondet, si nimis profunde haeret tumor, involucris densioribus obductus, arcte coercitus, caccis propriis inclusus; humores collecti tenaciores, magis consistentes ac deinde nimia aquae mole congestae supra modum extensus, et partes suas occupat, firmis aut stratis musculorum tenacis constant.

c. Functiones organorum perturbatae. Aquarum mole, sede, tumoris figura et positione,

symptomata ex iis profluentia differunt. Compressionis et arctationis sequelae sunt v. c. hydrothorace laborantibus, oppressio, asthma; ex ascite prodeunt digestionis vitia.

d. Motus muscularis, actionum nervorum, circuitus humorum, caloris naturalis decrementum, suspensio, extinctio.

Nutritionis perversionem, interceptionem, fibras debilitatas, laxas, humores collectos stagnantes, ab circuitu aberrantes pro causis agnoscunt.

e. Secretionis perversio, diminutio. Opus secretionis ad hydropis ipsam officinam augetur et pervertitur. Hinc nascuntur: 1) oris siccitas, viscositas. 2) cutis arida. 3) alvus lenta, obstructa. 4) urinae parciales, limpidae saepe etiam turbidae, jumentosae, foetentes redduntur.

Causam sufficientem quaerebant in exhalantium vasorum vitiis ac vasorum lymphaticorum resorbendi vi diminuta, sed nutritio alienata, in quam laticis effusi qualitas et reliqua symptomata portendunt, magis in culpa secretionis perversae esse videtur.

13. Ex his, hucusque de natura hydropis dictis liquet, organis vegetationi dicatis hydropes origines debere. Cum vero, quemque vegetationis morbum non magis intelligamus, nisi ad vasa et nervos simul respiciamus, tum ad eorum rela-

tiones, quibus vegetationis processus regitur, moderatur atque alteratur, praesertim attendamus.

Beatus Reilius inquit: „Gefäße und Nerven wirken mit zu den Vegetationsprocessen, durch welche überall Leben und Thätigkeit zu Stande kommt. Auch ist es noch unbekannt, wie die Nerven bei der Vegetation wirken, welchen Antheil sie, und welchen die Gefäße haben. Daher die Schwierigkeit die Function der Nerven, wenn sie verletzt ist, richtig zu erkennen und zu sondern.“¹⁾

Verba de hac materia ab Hartmanno prolata in eo conveniunt.²⁾ „Vegetationis morbi complete quidem non cognoscuntur nisi ad motum organicum respiciatur, ut qui materiam in hunc processum adhibendum forinsecus suscipit, ulterius promovet, ad loca destinata ducit indeque reducit. Errat tamen magnopere, qui in solo organorum solidorum motu organico plenam productionis organicae rationem invenisse sibi imaginatur, hic enim solidorum motus organicus productionis conditio quidem necessaria est, quin tamen rationem illius sufficientem contineat.“

¹⁾ Reil, Fieberlehre. Halle 1805. Bd. IV. §. 16.

²⁾ Hartmanni Theoria morbi. Vindob. 1814. §. 73.

14. Cum vero vasorum et nervorum systemata vegetationis instrumentis in relatione mutua versantur, tum fieri poterit, ut una alterave e labe hydropes prodeant ac ortum trahant; recte igitur tractemus, si hydropis divisiones in morbi primo germine fundamus, quod hydropis cura praeter indolem, considerationem systematum a quibus procedunt, exposcit. Nobis deinde sufficiat divisio in hydropem atonicum, inflammatorium et spasticum.

16. *a.* Hydrops atonicus, torpidus. Homines constitutione laxa, debili, temperamento phlegmatico, habitu inflato, tumido praediti, hoc genere praecipue corripiuntur. Aetas infantilis, senilis, sexus femineus inclinant in hydropem torpidum. Habitatio in locis humidioribus, ob situm profundiorum ad ripas fluminum lacuumve, inundationibus crebro expositis, uliginosis ac frigidis. Aër humidus, frigidus. Humorum jactura, morbis acutis, febribus intermittentibus, nervosis, venaesectionibus crebro institutis, haemorrhagiis, mercurii abusu exhausti, hydrope atonico afficiuntur. Morbi ex atonia origines repetentes saepe subsequuntur hydropes, eadem in ratione sunt vitia organica, indurationes, phthisis hepatis, lienis, tumores cystici, aneurysmata, varices etc. Quas

quidem causas mechanicum in modum agere, et eo, vim vasorum lymphaticorum resorbentium comprimendo et arctando inhiberi crediderunt auctores; verum tamen naturae veritati haud apta esse videtur opinio, quod saepissime aut postea hydropes aut simulcum his vitiis gignuntur; — sed sanguinis circuitus interrumpitur; huc etiam pertinent v. c. uterus gravida, vestimenta nimis angusta, fasciae, ferulae comprimentes.

Richter in therapia speciali inquit: „Es ist aber auch selbst völlig ungegründet, dass diese verschiedenen Ursachen immer durch mechanischen Druck die Wassersucht erzeugen, und dieß ist praktisch sehr wichtig. Dieß ist namentlich von den Verstopfungen der Drüsen, den Scirrhen, sogenannten Infarctus, Anschwellungen der Leber, Milz, Nieren, des Netzes, die man so sehr häufig bei Wassersuchten findet. Entweder sind diese gleichzeitige Folgen der Wassersucht, entstehen wie diese aus Atonie und Schwäche, vielleicht auch scharfen stockenden Stoffen, daher sie auch häufig in einem hohen Grade ohne Verbindung mit dieser vorkommen, oder wirken wenn sie ja zu dem Uebel in einem ursächlichen Verhältniß stehen, als festsitzende Reize. Sieht man sich daher z. B. die scrophulöse Krankheit so häufig mit

„Wassergeschwülsten verbinden, so ist die Ursa-
che davon nicht etwa die durch angeschwollenen
Drüsen gehinderte Zirculation der lymphatischen
Feuchtigkeit, sondern die gleichzeitige Schwäche
und Atonie der lymphatischen Gefäße, oder
auch wohl der örtliche Reiz der Verhärtung.
Hierher gehört denn auch die Bermerkung, daß
die Einsprützung der verschiedenen Gefäße in
Leichnamen an der Wassersucht Verstorbener
ganz vorzüglich gut gelingt.“

Alii etiam auctores contenderunt vasorum lymphaticorum lacerationem et solutionem pro causa proxima sumendas esse, sed quis est qui adstipuletur, perpendens: morbo differenti eandem originis rationem subesse? et ni maxime fallor, abscessibus lymphaticis conferendum esse. Verum enim vero ita se habent hydrops urinosus, chylosus, purulentus, biliosus; — sunt morbi varii generis et indolis, et exitus aliorum morborum considerandi.

Hydropis atonici decursus segnius absolvi-
tur, organorum labes prius ac symptomata ex
productis profluentia in conspectum veniunt.
Medicamina excitantia, stimulantia, sanguinis
circuitum motricia, genus nervosum incitantia, in
hydrope atonico hydragoga vera.

b) Hydrops inflammatorius, plethorius, sthe-

nicus. Absque fere omnibus prodromis usque ad gradum magnum incedit, et pro varia sede, producti figura, volumine etc. signa desumenda sunt prius ac in hydrope atonico, quo sensim sensimque conspiciuntur. Constitutio robusta, sensilis in eum disponit. Inflammationes, exanthemata acuta, haemorrhagiae consuetae suppressionem, lochia, haemorrhoides, menstrua, epistaxin subsequitur. Quo modo ex transpiratione suppressa, perversa, refrigerio inducta, urina intercepta, diarrhoeis, exanthematibus, arthritidi et rheumatismo retropulsis, ulceribus incaute exsiccatis et aliis organis affectis, hydropes inflammatorii proficiscuntur. Hydrops autem adductis affectionibus exorti, provocatae inflammationis exitus vix ac ne vix quidem videntur. Hydropes vero inflammatorios re vera existere, non solum omnia symptomata concurrentia uti pulsus plenus, durus, vibrans, sitis, calor auctus urina parca, rubra, suppressa, jumentosa, sed etiam venaesectiones largae, methodus antiphlogistica mirum quantum utilitatis praestantes comprobant. ¹⁾

c) Hydrops spasticus. Magna atque praeternaturalis irritabilitas et sensilitas, hysteria et

¹⁾ Peter Frank l. c. lib. VI. §. 748.

²⁾ Richter *specielle Therapie* l. c. Bd. 3. pag. 18.

hypochondria; potus frigidus post aestum majorem, et refrigerium e vestigio procreant hydropem spasticum vid. Haase *chron. Krkheiten Bd. 3. 1, §. 330. 2. b.* Methodus diaphoretica et antispasmodica eximio cum fructu adhibentur.

VITAE CURRICULUM

EX DÉCRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

A D I E C T U M.

Ego Carolus Fridericus Rothkehl, Christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus, Lesnae, oppido ducatu magno Posnaniensi, natus sum A. MDCCCIII. die IV. ante Non. Aprilis. Patre optimo, Christiano Gott-

lob Rothkehl, illius oppidi cive, et matre carissima e stirpe Scholtziana gaudeo, quibus ut officia mihi gratissima adhuc diu praestare possim, a numine supplico. Doctrinis, quibus aetas puerilis instrui solet, absolutis, per biennium, a Vir. Clariss. Polluge pastore, et a Friderico, rectore scholae civitatis Lesnensis, iis litteris institutus sum, quae ad studia academica viam nobis muniunt. Anno MDCCCXX, a. d. VI. Idus Junias instituti regii medico - chirurgici Friderico - Guilelmiani alumnorum numero adscriptus, per octo semestria sequentibus praelectionibus Virorum Perillustrium atque Celeberrimorum, quorum gratam memoriam nunquam ex animo dimittam, interfui. —

De Mathesi, Logice, Hodegetice, Psychologia Clar. Wolff; de Chemia, Physice et Pharmacia Clar. Turte; de Botanice, Historia naturali Ill. Link disserentes audivi. In Anatomia universa theoretica neque minus in arte cadavera dissecandi Ill. Rudolphi et Ill. Knape me instituerunt. Entozoorum historiam, Encyclopaediam medicam, Anatomiam comparatam et organorum sensuum Ill. Rudolphi; Pathologiam generalem et Semioticen Clar. Fr. Hufeland me

docuerunt. De Physiologia Ill. Rudolphi, Ill. Horkel et Clar. Eck audiui. Pathologiam specialem, praelectiones de morbis syphiliticis Ill. Horn; Artem, formulas medicas, conscribendi, Anthropologiam forensem Ill. Knape; Lektionen de materia medica et fontibus medicatis Clar. Osann mihi tradidere. Ill. Graefe, Ill. Rust, Clar. Kluge Chirurgiam tam generalem tam specialem, neque minus operationum chirurgicarum cursum mihi illustrarunt. In Therapia generali ac speciali ab Ill. Christ. Guil. Hufeland, Ill. Horn et Fr. Hufeland instructus sum. A Clar Kluge artis obstetriciae et theoreticae et practicae cognitionem, fascias applicandi praecepta, et doctrinam de ossibus fractis et luxatis cognoscendis et curandis accepi. Clinicis interfui institutionibus Ill. Christ. Guil. Hufeland, Graefe, Rust, Neumann et Kluge.

His studiis peractis in Nosocomio Caritatis Berolinensi per annum medici inferioris munere functus sum.

Jam vero peracto studiorum cursu ac tentamine examineque rigoroso coram gratiosa

medicorum facultate legitime absolutis, spero fore, ut post hancce dissertationem rite defensam summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

*Haemorrhagia non est morbus per se, sed
symptoma morbi.*

II.

*Nullum medicamentum, diaeta repugnante,
morbum curat.*

III.

Rheumatismus et arthritis inter se differunt.

IV.

*Ferrum candens, in haemorrhagiis sistendis,
pessimum.*

THESES DE FÉLIX DE SALES

De la nature et de l'usage des remèdes
généralis

De la nature et de l'usage des remèdes
spécifiques

De la nature et de l'usage des remèdes
simples

De la nature et de l'usage des remèdes
composés



